



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

In senecta adauget studium precandi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

qui nomina in societatem dedissent. Nam cupio,
 aiebat, & eorum & Germaniæ nomine gratias
 vocanti Deo singulares agere, omnibusq; precari
 sanctam in accepta gratia constantiam. Quas in-
 ter preces totus exardescibat, & sæpè in lacrymas
 soluebatur. Quo verò longius procedebat ætas,
 quicquid decessu virium demere cogebatur de
 actione, & labore corporis, id omne ad mentis cõ-
 templationem, & supplicationem addebat. Itaq; In senecta ad-
 augeat studium
 precandi.
 Friburgi iam sibi fixerat legem, vt ante sacrificiũ,
 quo se ad sacrosancta mysteria compararet, ab
 studiorum quamuis sanctissimorum (alia enim
 non tractabat) omni occupatione cessaret: neq;
 eadem nisi post vnam, alteramue horam repete-
 ret: quarta verò Pomeridiana omninò missa fa-
 ceret, vt quod reliquum erat ocij orationi, Deoq;
 tribueret: vnde fiebat vt septenas in die horas in
 commercio ille diuino, & Beatorum vsu persiste-
 ret, non tam fruens, ac prægustans immortalita-
 tis gaudia, quam mortalium deplorans calamita-
 tates, & miserorum causas defendens. Quod si
 migrantes è terris homines quædam piorum stu-
 diorum; quæ eos mortales tenuere, sequuntur in
 cælum, vt æquum est credere, cum pietas in suo
 y 2 illo

illo regno nō languescat, sed in omnes partes perficiatur, haud dubiè Canisius nunc maximè totius agit terrarum orbis Patronum, & ad clientes, ac supplices suos clementissimè aures acclinat. Id pollicetur non studium modo illud precādi singulare, sed etiam immensus quidam in rem Christianā publicā, & orthodoxam Ecclesiam amor, nempe ex amore prognat^o, quem erga summam Numinis Maiestatem, & Christum Dominum acrem, efficacem, & ipsas penitus depascentem medullas, habebat.

*Zelus divina
gloria & ani-
marum.*

Conficiebatur Zelo Domus Dei, & contabescebat videns stragem labentis Patriæ, ruentesque in Hæresim populos: & clamabat in cælum, & per literas deplorabat, Sal infatuatum eiicitur foras, & conculcatur, nec vigilamus. Perit cum grege Pastor, & cæcus cœcum ducit in foueam: Sed quoties quisquam recogitat in corde suo tantam calamitatem? Obsurduimus propemodum, & ludum putamus infinitam animarum cladē, quæ nostro vitio aut pereunt, aut melius habere poterant, si æquè spiritualia, atq; temporalia, non nunquam & vana, curaremus. Dominus aperiat nobis oculos, vt videamus, & animos commoueat,